Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26300
Copyright: Admont, Benediktinerstift



panis absconditus suauior. Subiecit deinde idem serpens.
Quacunq; die comeditis. statim aperient oculi uri. et eritis sicut
dii. scientes bonum et malum. Sic et omnes generaliter heretici. di
uinitatis merita prophant. atq; scientie pollicitatione decipiunt.
et reprehendunt eos quos simpliciter credentes inuenerint. et quia
omnino carnalia persuadent. quasi ad carnalium oculorum ad apertionem
conantur adducere. ut interior oculus obscuretur.

VIDIT GRAVIDER CAP. V.

Vlignum quod esset bonum tulitq; de fructu eius et comedit.
Mulier comedit antea non uir. ideo quia facilius carna
les persuadentur ad peccandum. nec tam uelociter spiritales decipiuntur.
Et dedit uiro suo et comedit. utiq; quia post delectationem carna
lis concupiscentie nostre. etiam ratio nostra subditur ad peccandum. Cumq;
cognouissent se esse nudos. consuerunt folia fici. Foliis fici se
contegunt. qui seculum asperum amplectuntur. qui prurigine uoluptatis
uruntur car[illegible]nalis. quiq; decepti heretica prauitate. et gratia dei
nudati. tegumenta mendaciorum tamquam folia fici colligunt. facien
tes sibi succintoria prauitatis. dum de domino uel ecclesia mentiuntur. Cumq;
audissent uocem dei deambulantis in paradyso. ad auram post me
ridiem. Deambulat deus in illis et non stat. qui stabiles in eius precepto
non perseuerant. Et bene ad auram post meridiem. quia iam ab illis
aufertur lux illa feruentior ueritatis. appropinquantibus errorum
tenebris. unde scriptum est. Secuntur umbram et non lucem. Abscon
derunt se a facie dei in medio ligni paradysi. In medio namq;
ligni se abscondit. qui auersus a precepto creatoris. in erroris atq;
arbitrii sui uoluptatibus uiuit. Vocauitq; deus adam. Ubi es.
Hic ostendit quia si qui a fide. uel bonis operibus ad mendacia
suaq; desidia labuntur. non despicit illos deus. sed adhuc ut redeant
per penitentiam uocat. quia non uult mortem peccatoris. sed ut conuertatur
et uiuat. Ergo non est desperandum quibuslibet peccatoribus. dum
et ipsi impii ad spem indulgentie prouocentur. Dicitur autem post hec serpenti.